

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius

**Exercitium Eloquentiae De Bono Principis tractatum : Octo Orationibus: quas In
Illustri Academia Rostochiensi publice recitabant nobilißimi aliquot & ornatißimi
iuvenes**

Rostochii: Myliander, 1602

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742263479>

Druck Freier  Zugang



~~E. 3522. a.~~

T. 506. b.

Exercitium Eloquentiæ
DE BONO
PRINCIPIS
tractatum
Octo Orationibus:

quas
In Illustri Academia Rostochiensi pub-
licè recitabant nobilissimi aliquoc &
ornatissimi juvenes.

Ex informatione
Ioannis Simonij Rhe-
thorices Prof. P.

Rostochij prælo Myliandrino,
Anno cīcī CII.

ECCLESIAE CENSUS
ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQ_Z PRINCIPI AC
DOMINO, DOMINO

**I O H A N N I
A D O L P H O,**

HEREDI NORVEGIÆ, DUCI SLESVI-
CENSI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ, & DIETMAR-
SIÆ: COMITI IN ALDENBURG & DEL-
MENHORST, DOMINO MEO CLE;
MENTISSIMO S.

REGIA, ILLUSTRISSIME, CELSISSEMEQ_Z PRIN-
CEPS, DOMINE CLEMENTISSIME SEMPER
HABITA RES EST ELOQUENTIA.
hac enim reguntur populi: hac stabili-
liuntur leges: castigantur improbi:
defenduntur boni: quæ opera si regia non sunt nescio
sanè, quid hoc nomine appellari debeat. Itaque
omnibus seculis viri in Repub. Principes eloquen-
tiam coluerunt & magnificerunt: & in Scholis Re-
gijs cum alijs. cum imprimis hi, qui Reipub. operam
suam

suam consecrarunt, ad eam aut ulterò animum appellunt, aut excitantur. Quæ me causa una impulit, ut, dum, D E O ita volente, in hac Baltici litoris Sarepta Oratorium doceo, jam aliquor annos publicè privatimq; conventus habuerim, in quibus ea, quæ Rhetores de benè dicendi facultate tradunt, Sapientiae studiosi ad usum, deducerent, & dicendo scribendoq; exercerent. Sciebam quidem cum me ad rem tantam ferè nibil nisi animi promisitudinem afferre posse. prævidebam et hoc: non fore nullum, ex eorum præsertim numero, qui se putant omnia scire, qui me lecarum appellaret aut Phæeron tem. Sunt n. homines, qui, cum erroris quadam opinione & scientiæ persuasione decepti, ad docendi munus per aliorum injurias aspirant; neque id ad quod, vi factavia, perrumpere satagunt, quadam culpa exclusi impetrant, impudentissime de se scribere non erubescant, propterea se spacijs ab alijs excludi iniquis, ne scilicet hi, à quibus impediuntur, post genitis auscultare, & his præceptoribus ea, quæ ephebi olim didicerant, dediscre cogantur. Hoc genus hominum jam longè ante videbam minus recte de his nostris exercitijs judiciali urum. Ego tamen illis posthabitis meum propositum ursi, & (ab sit arrogancia dicto) non paucorum et jam nobilissimorum studia excitavi, ut in Archeum nostrum

producti audientiam invenirent, neq; à doctis & li-
teratis viris prorsus reijcerentur. Quos inter fue-
runt nobilissimi & ornatissimi hi adolescentes; à
quibus recitatas me informante orationes Illustris-
simæ K. Celsitudini ego nunc reverenter offero: non
quod his V. C. egeat; sed cum & Illustrissimæ
Celsitudinis vñstræ honorifica in illis factis sic men-
tio: tandemq; inter laudatissimos Principes esse
certò sciam, qui studia literarum ament ac doctissi-
mos quosq; omni principali favore prosequantur.
Cumq; V. C. agnatus Illustrissimus item Princeps
Philippus Norvegicæ heres, Dux Slesvicensis &c.
hoc ipso tempore in hanc urbem studiorum gratia
cum Illustrissimo Princepe Vdalrico, Pomeranie
Duce &c. veniat existimabam non injucundum
C. V. fore, si cognoscet: qua dicendi exercitia in hac
Academia celebrentur: idq; ut Ill. V. C. quæ est
ipsius plurimorum sermonibus prædicata clementia,
faciat, submissè oro. Deus Opt. max. Illustriss.
V. C. cum Serenissima conjugi, & tota repub. in-
columem florente beatamq; conservet, ut du vi-
vat, diuque regnet. Rostochio 26. Aprilis.
Anno 1602

V. C.

Subjectis.

Ioannes Simonius.

LECTV-



LECTVRIS S.

DE Officio & BONO Gubernatoris
Dnobilis est & perverus atq; a multis
annis agitata Quæstio. Recte enim
præesse, unum est ex ijs, quæ inter homi-
nes celebrantur, opus, quo nullum a-
liud est vel illustrius vel gravius; ut quod
complexum est omnia, quæ nobis cara-
sunt, Religionem, Ecclesiam, scholas,
parentes, coniuges, liberos, ærarium,
& id genus infinita propemodum alia.
Quod qui recte administrare ignorant,
vel idem inflati, ad eam, quam sibi
ipsis fingunt, normam administrant;
illi Ecclesiam turbant; vexant scholas;
exhauriunt cives; ærarium ex lacrimis
& gemitibus subditorum locupletant; in-
distribuenda justitia sunt ~~περισσωπλαγχοι~~;
& tandem, ut imperiti naucleri navim
Reipub. ad inscitiae & nequitiae scopulos
impellunt evertuntque.

3

De

De hoc Officio adolescentes aliquot
Nobilissimi, ornatissimi & doctissimi
hodie O. M. V. D. disputabunt, & ro-
tam rem in deliberationem vocabunt.
Et quidem.

OTTO à GROTHVSEN Nobilis
Livonus Cisdunensis, quæstionem ad
consultandum proponet:

EDUARDUS HORN, Nobilis Fin-
no, ut imperij cura alijs commendata
Rector Reipub. voluptatibus indulgeat,
svadet:

*VVINHOLDUS HEIDEMAN-
NVS* Gedanensis, voluptate graviter
rejecta, ad Venationem hortabitur:

DETLEVUS ab HVDA Nobilis
Bremensis, venatione perpetua impro-
bata, ad ærarium omnibus modis au-
gendum eundem inflammabit:

EDUAR-

EDWARDUS à DELVICH
Nobilis Livonus Ultradunensis, studio
pecuniae condemnato, gloriari ex bellis
comparandam syadēbit, & classicum
caneat:

ERICVS SCHRODERVS Svecus
contra ambitionem disputabit, & ad
Pacem huiusque aries excitabit regen-
tium:

IEREMIAS GODELMANNUS
Rostochiensis pietatem, prudentiam,
iustitiam, fortitudinem eidem inculcabit:

OTTO à GROTHUSEN àraneoae.
naiwes instituet, & omne officium Gu-
bernatoris complectetur:



Ad

Ad quos benignè & humaniter audiendos, Magnificos, Reverendos, Clarissimos, Consultissimos, nobilissimos, doctissimos Dn. Professores, Doctores, Magistros, & adolescentes officiosè & per amanter invito. Fient recitationes hora I. in acrōasi Philosophica boreali.
P. P. XXVII. Febr. Anno 1602.

Joannes Simonius.



ORA.

ORATIO I.

*Qua quæstio ad consultandum
proponitur.*

SAPIENTIAM rectamque instituendæ vitæ rationem non à plebeis hominibus, sed generis splendore præstantissimis cuivis ad gubernacula sedenti cognoscendam & excolendam esse; Platonis illud sepius repetitum testimonium comprobat, qui tum deniq; fore beatas respub. putavit, si aut docti & sapientes homines eas regere cepissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina & sapientia collocassent. Imprimis vero hoc ipsum tenendum est his, quibus quidem respub. administranda est, sed quos aut tenera ætas, aut imperitia, sive ignorantia ad reipub. gubernacula tanquam parum idoneos admittit. Itaque cum ea, quæ me paulo post gravioribus traditura est negotijs, ubi de salute & commodo reip. cogitandum erit, appropinquet ætas, videndumq; mihi sit, ne reip. scientia ægra aut plane deposita scrupulus ignorantiae succrescente ætate succrescat, peto

A

à vobis

à vobis Consiliarij mei, liberè quisq; significetis, quomodo hic cursus sit instituendus.

Si quis enim rectam instituendæ vitæ rationem ignoraverit, hunc maxima infinitaque incomoda comitabuntur, & saepe tergo sequentur. Quod enim multis accidisse animadvertisimus, ut cū vitæ terminum sibi nō præstituissent, hue illuc tanquam incertis acti tempestatibus fluctuarent, inq; discernendis gradibus bonorum & malorum turpissimè hallucinarentur, cum multi utile pro honesto, pro utili suave ac iucundum appeterent; alij voluptatem, profundissimam quarumlibet calamitatum charybdin, suavissimam multiplicium malorum escam, in loco summi boni collocarent. alij divitijs, quæ superbiam pariunt, animos hominum inflant, invidiam conciliant, multis perniciem creant, summum imperium tribuerent: quod, inquam, multis accidisse vidimus, id evenire cernimus viris in luce reip. constitutis, ut eo præsidio destituti vagentur, infelicitate hallucinentur, & errant, saepe etiam driter allidantur: donec ad extremum penitus se & navim reip. evertant.

Quis enim, si absque hoc sit, benè imperare, quis utilitati reip. recte consulere, quis justiciam administrare, quis factuosos deprimere, quis probos defendere poterit? ubi enim prudentes sunt, ibi florebunt cives, florebit religio,

figio, benē erit ærario, benē erit toti reipub.
At ubi is, qui imperat, stolidus est, nec alios sa-
pientes audit, ibi interire remp. necesse est, cum
ad verū finem nemo tendat: sed sicuti vinum
alios hebetiores reddit, alios acutiores, alios
elinguēt facit, alios loquaculos, pro corporum
habitu, ita eadem stultitia & ignorantia veri
hunc regem incitat ad ad studium pecuniae, il-
lum ad voluptates inflamat, hunc ad luxum,
illum ad alia detrudit.

Rursus si quis tam heroum atq; principum
quam vulgarium mentis oculos ad scopum vi-
tae prædiscendum converterit, dici vix potest,
quantam ea res afferat Sapientiam, quam præ-
beat vitæ regulam optimam tutissimam fe-
licissimam. Alexandrum videamus, qui cum
boni Imperatoris finem apud animum suum
constituissest, tam legendi atq; discendi percu-
pidus fuit, ut Iliadem Homeri, quam rei mili-
taris viaticum solebat appellare, Aristotele
exponente, perdisceret, eamque semper una
cum pugione scb pulvino jacentem teneret.
Thaletem aspiciamus, quem multarum rerum
inventorem fuisse memoria proditum est, sa-
pientumque Græcorum primum atque excel-
lentissimum: an non minus in cælum sublatis
oculis admirabundi obstupescimus, quod hic
vir relictis omnibus his fortunæ caducis ac nul-
lius momenti bonis fese Ægyptiorum sacerdo-

A 2 tibus

tibus erudiendum atq; instituendum tradere ?
ut ab eis Philosophiæ, reginæ illius, præcepta
disceret. quo autem numine extimulatus id
fecit ? nullo profecto alio, quam quod certam
vitæ metam sibi præfixisset.

Quid de Pythagora Italicæ Philosophiæ
autore dicam ? Quid de Platone, Anaxagora,
aut Empedocle in medium proferendum exi-
stimem ? qui omnes ad Barbarorum remo-
tissimas regiones penetrarunt, quo possent
ab illis aliquo sapientiæ lumine illustrari, &
per illud ad scopum vitæ suæ perduci.

Quemadmodum enim sagittarij certum
finem sibi propositum habent; ad quem colli-
neant & sagittis & oculorum acie directis jacu-
lentur: quemadmodum item viatores, quem-
admodum denique nautæ certum scopum pro-
positum habent, ab eoq; determinationem to-
tius itineris accipiunt, ita ille solus novit, quid
sit agendum, quid omitendum, qui certum
vitæ finem & metam præfixam sibi habet.

Quæ cum ita sint, peto à vobis, Consiliarij
omnes ingenij nervos intendite, nihilq; inten-
tatum relinquite, ut percipiam, atq; intelligam,
quò dirigenda sit tota futuræ gubernationis na-
vigatio, num Sardanapalum ? an Iulium Cæsa-
rem ? an alium quempiam mihi ad æmulandum
proponere debeam ? Profiteor me vobis obtem-
peraturum ac morem gesturum.

O R A.

ORATIO II

*Primi Consiliarij qua Voluptas
suadetur.*

CVM mihi fortuna & experientia, Prin-
ceps, usum quidem inviderit benè
suadendi excellentem: fides autem, qua tibi
obligatus sum hoc tempore, necessitatem im-
ponat sententiæ dicendæ; moderabor eam è
salute tua & utilitate: consulamq; ætati & for-
tuæ tuæ, sine gratia, sine timore, optima salu-
berrimaque. Multum enim semper interesse
existimavi, non solum ad diuturnam vitam sed
facilem & beatam, tempori rationem vitæ in-
gredi, quæ duceret ad tranquillitatem & quietem.
Nec enim probare potui rigidos illos Ca-
tones & severos, qui ad curas & ambitum mi-
litiamq; suam principem detrudunt, dissua-
dent vitæ genus quietum, jucundum, quo ævi
hoc quicquid est inire licet & peragere, sine
molestia & timore. His, ut alias semper, ita
nunc maxime me oppono, ne adolescentiam
tuam abuterentur: neve vernantem te adhuc
& florentem, quod multis hodie accidit, se-
pulchro induceret. Bellis te interesse volunt

A 3 homi-

homines cordati & coturnicis naturam induere. Ego verò semper existimavi artem illam belli hominum quandam esse perniciem, ad interitum generis humani à dominandi cupiditate & avaritia primùm introductam: quæ per sanguinem & cædes nobilitatem sibi & famam acquisierit. Hujus manibus potentissima regna demollita jacent: bellicosa Numantia, ditissima Corinthus, superbæ Thebæ, Ierusalem sanctitate, sapientia verò insignes Athenæ. At tu Domine, non pestis & pernities; sed amor & delitiæ generis humani natus es: non qui homines adoriri, instare, premere, circumvenire, condiscas; sed potius veluti pedamentis quibusdam fulcire: cum hanc tenerari ætatem tuam cum totius vitæ curriculum quam suavisime agendo. Quamobrem si tibi castra sunt cordi, simul te appares ad molestias, timores, vigilias, anxietates, &, quod malorum extremum est, mortem ipsam. At istam non queris, nisi insanias & desperes; sed felicitatem, beatitudinem, vitam inquam jucundam & quietam, quæ in voluptate sita est, matre & nutrice vitæ beandæ. Igitur cum hoc tendis Princeps, frustra certamina Herculis, operaque à Theseo gesta, exemplar & scopum proponis, ad quem collinees & curras: qui ut Patroclus, Hector, Achilles, dum hominum interitu & bellis delectantur, præmia retulere,

culere, miseram vitam & immaturum fatum:
diutius utiq; victuri, si extra teli jactum se con-
tinuissent. Verum cesso instare, obtinuerent
quod volbam, ut jam sagum deponere & seu-
tū abijcere animum induxeris. Alterum, quod
à toga obijcitur impedimentum & remora, si-
mul collam, ut possis planam & facilem decur-
rere viam ad scopum quem suademus & pro-
ponimus. Qui igitur juri dicundo, tanquam
Æcum aliquem aut Rhadamanthum vacare te
volunt, rixantes audire & punire: id agunt, ut
mancipium quoddam te faciant plebis, famoso
virtutis & justitiae nomine imponentes, quo
te immortalem faciant verbo; at revera ad or-
cum ducunt & interimunt. Vix enim Hercu-
les sufficeret ad hasce pedicas & boias, quas tibi
illigant & imponunt. Vellem in mentem veni-
ret viris sapientibus, Principem liberum na-
rum esse; non servum. ministros quosdam
& operas largimur & concedimus opificibus,
quo sibi ipsis parcant, homines ad stivam nati:
quid principi faciemus, multitudine negotio-
rum opprimemus ipsum & interficiemus? Nam
si labores negotiaq; scholastica, Socratem, Pla-
tonem reliquamq; Philosophorum turbam, ex-
anguem reddiderunt & demortuum, quid fieri
Principi vestro, cuius humeris & cordi perpe-
tuos labores & curas illigatis? Verba nos non
movent, utinam exempla! Considerate enim

eximium illum Saxoniam Ducem, tosto & am-
busto corde & uvæ passæ instar contracto, dolo-
re & pondere negotiorum publicorum occu-
buisse. Nec aliter res cadere potest, vel ipsis
medicis testibus: qui vigilias & curas humidum
radicale depascere, spiritus resolvere, vitamq;
destruere & abscindere una voce clamant. Quin
igitur liberamus Principem nostrum hoc Sify-
phi saxo, & dolio Danaidum: bella, negotia pu-
blica, virtutis actionem, cruces, & flagella il-
lustrium, in inferioris fortunæ homines reijci-
endo: & concedimus illi uti, frui bonis & do-
nis, quæ Deus & natura ampla & copiosa ipsi
indulxit. Ea sunt, quæ Salomoni hominum sa-
pientissimo ex rebus omnibus sub sole placue-
runt tantum, lætari nimirum & corpus curare
quiete & voluptate: cuius sententia subscribit
alibi etjam sacra pagina, quæ extrellum & ul-
timum bonorum promittit tranquillitatem &
lætitiam, quæ re ipsa est voluptas viro enim ti-
menti dominum opes & lætitia in domo ejus,
inquit Psaltes. Quid verbis opus est? perambu-
lemus, si placet, omnes mundi partes, & clare
testabuntur, à voluptate se procreari & con-
servari, à labore, & ejus pediis sequa tædio &
dolor, interire. solem illum vide qui clarus
lætitiaque gestiens oritur nobis & surgit: at
inclinante die, cum jam cursum peregit, de-
mortuo similis, quasi affectibus laborans faciem
osten-

ostendit nunc pallidam, nunc rubicundam, &
quasi sanguine madentem. Idem vultus
Lunæ est, cum suum cursum decurrit, cum ori-
ens tripudiet atq; exultet. & quis est omnium,
qui ad laborem ultrò se comparet, nisi trahatur
& cogatur? Tauros ad stivam ligamus, & in-
ipso opere stimulis petimus. equos calcaribus,
canes loris cogimus. Ut mittam hominem,
ipsum, cui labor & sudor poena est, quem nun-
quam sequitur nisi egestate & necessitate co-
gente. At aliud in voluptate est; ad quam omnis
natura imperu suo, & vi quadam fertur,
in eaque conservationem suam positam
esse clare ostendit. quis rerum productioni
operam daret, nisi voluptate ornasset natura
maris & feminæ conjunctionem? Hinc vide-
mus omnia animantia tunc maxime lætari, ea-
que lætitia se propagare, cum voluptati & ve-
neri se dederunt, nec unquam magis exardescere
& furere, quam cū ab ipsa lætitia revocan-
tur & impediuntur. Di ipsi, instrumenta volunta-
ris, suum nectar & ambrosiam, suum Ganime-
dem & Danaem habuere: nec unquam in labo-
rem redeunt, nisi hominum malitia & necessi-
tate cogente. & cum discedunt à nobis convi-
vijs in lætitiam & hilaritatem se solvunt. Mar-
tem sua Venus lassum & curis confectum per
amplexus reficit & thori voluptates. Iovem.
Iuno aut vicaria aliqua Amphitruonis. Quo

A s

igitur

igitur ibis D O M I N E , contra omnem
naturæ vultum & sermonem & quæ solo & cæ-
lo ingenerata sunt unus evertes & tolles ? quæ
enim necessitas te adigit, ut animum affligas
& emaceres ? hereditate parta res est, & am-
pla, ad omnem latitudinem quæ satis sit & vitam
jucundam. Age igitur convivium aliquod
mihi initio, quod loco & bellorum hominum
conventu probe constet : apparatus habeat
non Homericum & jejunum aliquem sed Pin-
daricum : cui adsit mimus voluptatis plenus;
convivatores reliqui blandi sint, qui omni ra-
tione voluptati studeant : adsint Veneres
illæ & virginæ nigroculæ, tenellulæ: quæ tri-
pudijs lætitiam provocent & angeant: veniat
flexanima Musica, quæ modos perseveret Ly-
dios: Ionios fugiat tristes & luctuosos: tandem
qua pores curas abige, jentando, prandendo,
cænando, & commessando. Ita vixisse legimus
non solum tui ordinis homines reges & Prin-
cipes, sed Philosophos : & eo ostendisse, ver-
bo virtutem & laborem se commendasse, re-
ipsa voluptatem. Plato legibus convivia in-
stituit, munera Liberi patris in reipublicæ auxi-
lium imploravit. Lycurgus apud Lacedæmo-
nios: Cato censor morum apud Romanos ap-
probavit: qui sodalitates ad charitatem & ci-
vium hilaritatem instituit. Huic catalogo in-
seximus Ariippum Epicureum aliosq; non
de ple-

de plebe Philosophos, qui potius voluerunt
conviventiam bonorum fragore suo & sermo-
nis condimento exhilarare, quam scirpos no-
dosq; anxios in umbra scholarum proponere.
Reges autem ad calculum vocare non possu-
mus: nam copia illorum plane obruimur, &
temporis angustia impedimur, præterea labo-
rem suadendi in re plana & facili jam defugio.
Tuum nunc est Domine arbitrari & conlude-
re, an mavis bello florem ætatis consumere: ad
Cannas, Mæoniam paludem aut Padum occum-
bere, per acies volitare mediosq; ignes, ob ina-
nem aliquem titulum & peritiorum nomen: an,
quod suadeo jubeoq; in molli victu & die sere-
no imperturbata mente otia tractare amica
placidaq; , & senectutem expectare tranquil-
lam. Nec enim quicquam licuit ad acheronta
secum ferre cuiquam, quo se demulceat tra-
ctetq; : hic usurpanda sunt gaudia dona, & bo-
na, quæ dextra ubere & plena indulxit fortuna,
ne fero ingemiscas, postquam concessi tempo-
ris ætatem peregisti sub duro magistro & per-
didisti. Quamobrem, dum fata finiunt

*Vivito latus! properat cursu
Vita citato volucriq; die.*

*Rota præcipitis vertitur anni
Dura peragunt pensa sorores
Nec sua retro filia revolvunt.*

ORA-



ORATIO III.

Secundi Consiliarij, ad Venationem, cohortantis.

Indigna mihi te, collega nobilissime, tuaque
persona visa est oratio tua. quid enim est,
quod Principi persuadere velis? Voluptas, in-
quis, est. at quæ voluptas? nonne corporis?
omnium vitiorum malorumque mater illa, ca-
pitalis humani generis pestis, ulcus animi, quæ
naturam destruit, hominemque cum maxime
blanditur, maximè interficit & trucidat? Latro-
num genus, quod Ægyptij Philistas vocant, in
hoc amplectuntur, ut strangulent: ira et jam
voluptatem facere animadvertes; quæ cum ma-
xime blanditur, necat, latque perimit. Sicut
navigatio in mari Syrtico periculosa est, & ca-
ptarum ferarum sollicita possessio: sæpe enim
laniant dominos: ita habentis magnæ volunta-
tes in magnum malum evasere, captæque ce-
perunt. Hoc tu, si poteris, infringe mihi, &
herbam porrigam. Sed quid negabis, colle-
ga? vincut te luce meridiana clariora exempla.
Voluptas tua Sardanapalum rogo consecravit.
Voluptas Alexandrum Magnum perdidit. Vo-
luptas

Iuptas Catilinam impia arma adversus patriam
sumere docuit. Voluptas Trojam vastavit:
Asiam effæminavit: quinque florentissima regna uno momento in lacum, sulphure, pice &
igne stagnantem subsidere fecit. Ecquid jam
dubitas, domine, fugiendam esse voluptatem?
aut dubitas tibi et jam atque et jam videndum,
ne venenata contrectes animalia, nevè noxios
gustes cibos? Quid dicam, quantum dedecus
sit, Principem, cui tot populi, cui tot commissa sunt negotia curæ, inebriari vino, diffluere voluptatibus, torpescere otio? O rem di-
ctu turpem, cogitatu fœdam, factu abomi-
nandam! Turpe esse dicunt quædam nationes
mercatori, si is se ingurgitet: in quod ita apud
Iberos severè animadvertisit, ut viri boni no-
men eorum judicio amiserit is, quem in publi-
bum vino delibutum prodire vidissent. Quan-
to turpius id erit Principi in luce hominum
posito, cuiusq; officium est reipubl. recte be-
neque præesse: pro subditis vigilare, apud ci-
ves in magno pretio esse: quæ quidem omnia
sobrij sunt hominis, non temulenti? Quod si in
privatis rebus sequamur, ut eas committamus
servis, quorum frugalitas est perspecta, eos
demque aliquo in loco apud nos hærere pati-
mur: quanto æquius erit Rempubl. committe-
re Duci, qui sapiat, cujusque in sicco habitet
anima? quantoque est justius, ejusmodi à suis
magni

magni æstimari &c religiosissimè observari.
Neque enim est, quod quemquam majori affi-
ciat dedecore, quam ipsa voluptas. Aspice By-
zantinos veteres: contemplare Thessalos Theo-
pompi: contuere Lydos Athenæi: considera
Sybaritas antiquos: hi omnes libidinibus, lu-
xurie, mollitia id consecuti sunt, ut, licet ho-
diæ nunquam sint superstites, tamen infamia
laborent & male audiant. Tacco Neronem:
prætero Heliogobalum: silentio involvo id
genus farinæ alios, quorum sceleribus tota re-
rum natura, omnesque Academiarum parietes
adhuc personant, eosdemque detestantur, &
ad orcum condemnant. Nec me movet, quod
nescio de quibus dijs fabulentur. Egregij Dij:
num autem Ethnici sumus? an quisquam ex
ethnicis, qui sani fuerunt, unquam ejusmodi
servolum & aut ancillam, quales mihi illi Dij,
si Dijs placet, prædicantur, sub tecto suo pas-
sus fuit esse? Quæ cum ita sint: Domine, suadeo,
ut illis postpolitis in venationem incubas:
quæ cum nec Deo displicet, tum ad multa pro-
dest, estq; utilis, & perquam jucunda. Quōmo-
do enim id displicere potest, quo otium tol-
litur, fons ille omnium peccatorum, mater nu-
garum, noverca virtutum, pulvinar Sathanæ?
Venationem autem otio inimicam esse, si quis-
q; est, qui ignoret, eum ipsi sibi ignotum esse af-
firmare omnino non dubitem. Circumferimus
enim

enim ~~rum~~ quisque , quas vocat , invias ,
quibus hoc ipsum , quod dico , inscriptum ex-
tat . Quae enim causa foret , cur Ethnici Dia-
nam laudibus adeo extollant , quod amore æ-
ternæ virginitatis feras perpetuo insecura sit ?
nisi lux naturæ hanc in ijs lucem accendisset :
venatione peccatis resisti , atq; adversus sceleræ
præsentissimum in ea inveniri remedium ?
Quid ? quod venatio ad conservationem
valetudinis , & in primis ad militarem disciplinam
mirifice conducit ? de qua , si placet ,
Xenophontem inspiciamus . Neque verò dicam , quam suavis quamq; jucunda sit venatio .
~~ipse~~ venatoris habitus ad aspectum jucundus ,
clamor venaticus , venatio ipsa ; quæ tam varia
est tamque multiplex , quam varia sunt ani-
mantium genera ; ea suavitatem hanc loqua-
tur . Illic videris ursum ad apiarium , mellis gra-
tia , ascendentem , seipsum lacerare cultris , ad
os alvearis , antequam veniret , impactis : hic
porcus sylvestris obviam veniet venabulo ex-
cipiendus : illic conspicies in aere penden-
tem feram tremebundam & reluctantem ,
quam suspensis de quercu animalis alicu-
jus intestinis & abscondito intus unco-
ferreo venator ceperat : hic audies ali-
quem cornu inflantem venatorem , &
pro indiciorum varietate signa mitten-
tem , sive bellua se moverit , sive in-
venta

inventa, sive elapsa, sive intercepta sit: sive ex-
hortetur sive requirat, sive receptum imperet.
Quid memorem exclamaciones illas, quibus
venator utitur, vel cum stantes ingredi facit;
io canes! io segnes! vel cum currentes excitat;
Euge canes euge instate canes! vel deniq; cum
revocat; retro retro heus canes! quibus nulla
musica meo judicio potest esse suavior. Nec
vero illa prætereunda est voluptas venatorum,
quod cœli cursum non ignorant, quod anni
tempestates cognitas habent, &, quod admir-
atione dignum est, admirabilem naturam ani-
malium perspectam habent. Quare & omnibus
ætatis, quo quisq; fuerit nobilior, eò majori
curæ venationi incubuit. Testantur id Xenon-
phantæ heroës, qui ab ineunte ætate venatibus
operam dederunt: qui venando hoc consecuti
sunt, ut in rebus gerendis animosi & strenui e-
vaderent, & simul οὐλῶς νοστρούς λέγειν καὶ τρόπους
discerent. Testatur id M. Antoninus Philoso-
phus: Testantur id denique alij innumeri Im-
peratores & Principes, quos omnes recitare o-
perosius foret, & admodum vacui tempo-
ris. His ergo laudatissimis Principibus, do-
mine, te adjungas: in horum suadeo societa-
tem te inferas, atque venationi, rei tam præ-
claræ, studeas: quod tibi & laudi erit & usui
& volupe.

ORA.

ORATIO IV.

Tertij Consiliarij, ærarij rationem im-
primis Principi habendam
monentis.

Atyrum mihi audire visus sum, non homi-
nem. quid enim aliud ostendit tua oratio,
Collega, qua Principi venationem tanquam
summum aliquid bonum inculcas? rem parum
honestam, minimè utilem, & vero injucundam
cum tam sacræ, quam profanæ literæ impro-
bent venationem. nullus enim sanctus, nullus
sapiens fuit venator. Inspice Patriarchas: data
lege transi ad duces, procede ad Indices: ad re-
ges progredere, percurre seriem Prophetarum:
fidelis populi officia & studia perscrutare: quos
in serie veteris testamenti legis exercuisse ve-
naticam, nempe Idumæos, & Ismaelitas, &
gentes quæ Dominū nesciebant ubi sunt, inquit
Propheta, (aut si mavis, dum tamen in Spiritu,
Notarius Prophetæ) qui in avibus cœli ludunt?
ac si tacita subjectione pronunciet eos, quo-
rum vita jocus est, suis evanuisse cum avibus,
cosque subjecta pronunciatione ad inferos

B descen-

descendisse, commemorat. Interroga patres
tuos & annunciant tibi: majores tuos, & di-
cent se nusquam sanctum legisse venatorem.
Quod si nomini venatorum de Prophetica
promissione blandiaris, qua se Venatores Do-
minus missurum pollicetur, qui de umbrosis &
excelsis venentur erroneos: bestialium vitam
noveris increpari, non commendari venan-
tium vanitatem. Nec te Placidus vel Eusta-
chius martyr quidem insignis; quem de pia, non
ramen, Canonica scriptura venantem asseris,
a Domino visitatum; nimis demulceat, nisi
forte persecutorum Ecclesiae rabiem laudas, eò
quod inde ad Apostolatum vocatus est Paulus,
& inter alios factus egregius Evangelij Prædi-
cator. Sed fuerunt viri illustres, Alexandri for-
tè, vel Cæsares venati dediti. nunquid Philo-
sophi? aut aliqui sapientes in populo? nunquid
Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca,
aut qui totius non urbis, sed orbis evacuavit
miracula, Archita Tarentinus? Ut redeamus ad
nostros, qui & veritatis doctrina, virtutis ex-
emplo, fidei autoritate præcellunt? quos Au-
gustinus, quos Hieronymus, Laurentius, Vin-
centius, quos denique de toto cætu patrum ve-
xationis hujus agitavit infania? Sed ut ulterius
progrediar, nonne vita vestra plane inutilis est?
incommodant enim & sibi. & alijs venatores:
accelerant sibi morbos, sæpe mortem. Quo-
ties

ties enim per abrupta & præcipitia cursant,
quoties propter diurnas & immodicas tem-
pestates in morbos periculosis incident?
caballis excussi jacent, fracti aut luxati mem-
brū aliquod? quoties, dum prosp., alias vē impor-
tuniores bestias vulnerare conantur, ipsi ab il-
lis graviter vulnerantur? meritò Martialis: in-
ter Cæsareæ discrimina sæva Dianæ. profectò
sævis se discriminibus committunt, vitam ha-
hent vilissimam, qui venantur. Et cum hæc
ita sint, inveniuntur nihilominus et jam fœmi-
næ venatrices, quibus (quoniam venationes
progymnasiora putantur militaria) idem quis
facete occinuerit, quod apud Homerum Vene-
ri, dum Æneam suum morti subducere cona-
tur, in prælio à Diomede sauciatae per repre-
hensionem dicit Iupiter. Exempla plura sunt
in promptu. nisi enim Actæon venationis
plus, quam satis erat, fuisset studiosus, non in-
cervum abiisset, non à canibus suis dilaceratus
ac devoratus fuisset. Nostrorum quoq; tem-
porum lactuosis instruimur exemplis, ab hu-
jusmodi inquietudine temperare, cum proce-
res nostros inter venandum veris varijsq; mi-
raculis indignatio divina percusserit, bestia-
lemq; sæpè invenerint exitum vita, qui, dum
licuit, bestialiter vixerant. Regibus quoque
ipsis manus Domini non pepercit. & in mali-
tam eorum condignam & glriosam exercuit.

Ingentia quoque damna important homini-
bus venatores. dum enim feras canibus & equis
insectantur , concultant sata , lacerant vincas,
corrumpunt plantaria , convellunt sylvas, de-
vastant agros. En! quam præclara, quam utilia
molimini opera ! Præterea vita vestra quietis
& tranquillitatis expers , turbarum ac tumultu-
um plena est , quod, ut nihil ei insit præterea
incommodorum, satis valet ad deterendum.
Inesse autem plura, hinc mecum recognoscite:
tempus insidiando , expectando , ad retia se-
dendo , huc illuc incursoando , per dumeta ob-
errando cum vestris canibus totos dies in otio
conteritis: &, qua nulla major est jactura, tem-
poris nimirum, quo nihil pretiosius , eam vos
nullius coactu sponte vestra , libentes ac gau-
dentes facitis: quid est aliud despere? Pleriq;
et jam efferatiores & inhumaniores cæteris ho-
minibus sunt, qui exagitant , & ad mortem to-
ties indagant bestias , eam namque immanita-
tem postea in homines convertunt. Multa in-
sidiarum genera neverunt venatores , quibus
abstinere adversus naturæ participes ægrè pos-
sunt , ut ea propter rusticis non temere ven-
atus interdicatur: ne ob duriora alioqui , & fe-
rociora ingenia venentur homines , exerceant
que latrocinia , aut certe damis ac leporibus a-
gitandis intenti, plurima agriculturæ dicta sa-
lute, venationi dent operam. Adeò porro in
sum-

sumptus ad alendos canes, ad equos, ad homines , hujus fucatæ vestræ voluptatis ministros prodigi estis, ut nonnunquam fundo suspiret nummus in imo , & ad paupertatem devoluti, rebus ipsis intelligatis, quam verum dixerit, qui dixit : Sera est in fundo parsimonia. Eorum est inquam manere sub Iove frigido, tenerarum conjugum immemores, perpeti algorem, ambulare genuum tenus per nives, torri caloribus, perferre sitim, tolerare medium, quiescere humi , cœlestes perferre injurias, non ob virtutem, non ob Rempubl. non ob ingentem aliquam utilitatem : sed ob unicam bestiolam, quam nec utrum capturi sitis potestis statuere, & sè penumero non capititis. Hujus amentiæ vestræ testis est in 2. Tuscul. Ciceron: Pernoctant, inquit, venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. Et rursus in eodem libro: Apud quos autem venandi studium vigeret, qui hanc petessunt, nullum fugiunt dolorem. En quam vitiosa , quam adulterina est voluptas vestra ! si modo dicenda est voluptas. Frigora, lassitudinem, esuriem, sitim, sudorem, pluvias , & alia compluscula mala complectitur. Cum itaque tanta incommoda ex Venatione procudantur, & quasi emergant, tot ac tam varia pericula venatoribus sint subeunda, imò morti ipsi sèpe succumbere cogantur, quibus in hisce venationis delitijs animos con-

B 3 sopitos

Sopitos, vel potius sepultos habent. Tibi Prin-
ceps autor sum, ut posthabita venatione, æra-
rij cui curam habeas, illudque angeas, quoquo
modo possis. quid enim pulchrius? circumflue-
re, ac superare divitijs, auriq; ac argenti cu-
mulos extruere ac possidere? quid contra con-
temptius? flagitiose à pecunia paratū ac instru-
ctum, ærisque alieni grandis nassa irretitum.
ac illaqueatum esse, ac in pecunia tenui vivere?
Veritati equidem maxime istud Timoclis con-
sentaneum: argentum hominibus & caro &
sanguis est; id quisquis non habet, neque pos-
sideret, ille inter vivos mortuus obambulat.
Nihil etjam tam munitum, quod auro non ex-
pugnetur. nihil quod majorem parit autorita-
tatem. nam vel servus, si dives sit, in pretio ha-
betur. Præterea si quis bellum gerere vult, si in
artium liberalium studijs habitare, si merca-
turam exercere, si peregrinationi dare ope-
ram, si cogere milices, opus sane est pecu-
nia. nummis enim tinnientibus milites un-
dique confluunt. Cum hasta itaque cum
scuto (quod ajunt) ad id incumbe, ut habeas
ærarium, argento auroq; refertum, mul-
toque ære sacculus tibi quotidie
tumeat.

ORA.



ORATIO V.

*Quarti Consiliarij classicum
canentis.*

Quæ contra voluptatem, rem obscenam,
& sordidam, atque beluarum propriam, di-
xit Acteon, recte dicta, pulchreque probata,
agnosco. nullam enim capitaliorem pestem,
quam corporis voluptatem hominibus natura
indulxit: quæ effrenata libidine, & ad potium-
dum excitata, patriæ proditores & Rerum-
publicarum eversiones procurat: qua impe-
rante, florenteque virtus non solum premijs
carer, verum etjam sceleratorum manibus
concultur, & in locum facinorum luit sup-
plicia. Quam insaniam hilarem si insanierit
etjam Princeps, fieri pon potest, quin sum-
ma imis permutet, & pestis maxima patriæ e-
vadat. Venationem autem semper non modo
jucundam & utilem corpori exercendo, sed
Principum quoddam peculum & quasi umbra-
tilem pugnam existimavi: dum modo habe-
ant eam ut oblectamentum, non ut exercita-
tionem & occupationem maximè seriam. Ve-
rum de Thesauro quibuscumque artibus colligen-
do, quæ

do, quæ attulit Collega Commodus, ea ut pæce ipsius dixerim, non perinde mihi probantur. Quid enim perniciosius, quid turpius, non dicam Principi, sed privato homini, quam avaritiae morbo corruptum esse & infectum? Insanabile enim malum est & urgens ab omni scelere calcar. nam in reliquis affectibus & morbis satietatem invenies & tedium: penerit enim voluptuarium & ebrium, ubi ad saniorem mentem redit: Avarus dum maximè laborat, teneri se tamen morbo non existimat, sed perpetua siti premitur divitiarum. Ut hydroptici, cum totum corpus perfusum plenumque aqua habent, sitiunt tamen: ita qui auro postponunt omnia, tanto plus querendo inhiant, quanto possederint magis: digni quos ab omni hominum cætu removeas, exilioque multæ: proxima enim quæque imò remota etjam velut hirudines exungunt & exedunt. Si enim putida membra, quæ alimentum reliquo corpori subtrahunt, quod tamen concoquere non possunt, urimus & secamus, ne serpat latius malum: amabimus ne homines qui se Solos diligunt, Rem publicam oderunt, amicitiam, honorisq; studium flocci faciunt: nihil sequentes, nisi ad præsens lucrosum, nihil ducentes honestum quod pecunia vacuum? Absit gitur ut hunc clavum purpuræ intexamus principis, & imperatorem faciamus mer-

Cato-

cato rem, qui emat & vendat opes hominum,
animosq;. Nam quo potentia plus potest, eò
intolerabili or est futurus mercium commuta-
tione, fientq; illi venalia omnia, quo obfessum
avaritia animum demulceat. qui nefarium non
ducet & sceleratum, non dicam privatorum
opes, sed ipsam Rempublicam quæstui & lucro
habere: idq; cum suo ipsius interitu & pernicie.
Ut enim hirudinem ebriam , & sanguine ple-
nam avellimus & conculcamus: ita principem
avarum conficiet tandem execrando, insidian-
do, opprimendo, odium plebis & subditorum
magnum & vehemens malum ! quod tu Prin-
ceps fuge , & vitia, quæ hunc affectum procre-
ant, inter quæ familiam dicit avaritia. Qui
enim undique lucrum captat, ovem non ton-
det, sed deglubit, auferendo rem cum pulvis-
culo & ipsis manipulis: fieri non potest, quin
omnes ipsum oderint, & perijisse cupiant. Pe-
cunia enim vita est mortalibus : quam qui in-
tervertunt, illi vitæ insidias struxisse non injuria
existimantur. Periculoso um igitur est Prin-
cipi, ut Reipublicæ noxium , lucrum ab omni
occasione odorari, & quamvis corporis partem
extentam habere ad capiendum .. Accepimus
enim ex historijs, non plures gentes, nationes,
urbes, bellis seditionibus, & proditione perijs-
se, quam avaritia. nam populorum victrix Spar-
ta hoc vitio interiit : æternæ illa urbs , cum

venalis esse cepit, præda gentium facta est. post-
quam enim opum affluentia cupiditatis flam-
mam alere cepit, statim nequitia divitijs ad-
 juncta, maximam facem accedit, & omnium
rerum dilectum atque discrimen abstulit. Sen-
tiamus igitur melius, & à Constantino Impera-
tore discamus, non affectare fisci commoda:
cum publicæ opes melius à privatis possidean-
tur, quam intra unum claustrum reseruentur.
Sed dum avaritiam proscribimus, nolo ita hæc
accipiantur, quasi velimus omnem hunc affe-
ctum in exsilium pellere. Est enim quædam
ejus species honesta & appetenda, quam ap-
pellamus avaritiam temporis & famæ atq; glo-
riæ cupiditatem. Hanc tantum abest ut con-
demnemus in principe, ut potius, reliquis o-
mnib. posthabitibus, nominis immortalitati invi-
gilandum ipsi suadeamus. Hujus enim cupidi-
tas & sitis, non solum pulchra semper habita
fuit, sed cunctis hominibus vehementer ada-
mata & commendata. Cum enim mortem
natura pertimescamus & recusemus, quæ
dijs iratis proprijsque tollere omnia no-
stra conatur, & perpetua oblivione sepelire:
quibus possumus modis obviam illi imus, &
dum obtinere non licet corporis perpetuita-
tem, apud posteros tamen ut vivamus & vige-
amus nomine immortali contendimus: ut ita
quandam immortalitatis & æternitatis spiem
adep-

adepti incredibili lætitia perfundamur. Neque enim est in rebus mortalium quicquam dulcius & illustrius nominis splendore & fama: cuius causa tot ærumnæ, tot sudores, tot vigiliæ ultro subeuntur & tolerantur, ut non im-merito cecinisse videatur Flaccus: tu sola animos mentemque peruris gloria: & verissimum sit illud Salomonis: melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. Hinc jam mirari desino Pythagoræ, Platonis, Democriti vigilias & peregrinationes, qui ob nominis perpetuitatem tantos sudores & labores pertulere, famam quærendo per saxa per ignes. nec diversi abierunt media & reliqua philosophorum manus, qui vitam, opes & valetudinem famæ postposuerunt. tanta enim ejus dulcedo est, tam gloriosa possessio, tam jucunda exercitatio, tam divinus amor & fructus, ut omnes homines naturali desiderio eam appetant & prosequantur: Hac inductus Thebit Bencorat quadraginta annis in monte habitavit, ut motum octavi orbis deprehenderet: Democritus stultitiam simulavit, & viscera animalium dissecavit, ut naturæ cognitione famosum se redderet: Plinius Vesuvij montis conflagrationem manifesto mortis periculo vidit & perijt etjam. Ut' mittam Empedoclem, qui in Ætnam profilijs: Herostratum, qui templum Dianæ Ephesi incendit, tantum nominis com-parandi

parandi causa. Mulieres ipse, pigræ & stupen-
tes rerum aliarum , hic satagunt ; ad famam
omnia dirigentes , quo spectentur & lauden-
tur : comam laboriosè componunt , pectunt,
tingunt , faciem fricant, vestem complicant,
discentes assiduè qua pompa ingrediantur , af-
surgant, decumbant, quibus se inclinent, qui-
bus loco cedant : ut præteream nugas & nuces
earum consimiles infinitas ad famam composi-
tas. Reges ipsi & Principes hic assidui sunt &
accub i, qui ut immortales essent & omnibus
spectarentur, à solo Apelle pingi voluerunt , à
Lysippo fingi, aurei & argentei in foro stare, &
ære æterno spectari : ut nihil dicam de ijs, qui
infinitis sumptibus pyramides & mundi mira-
cula, quæ natantibus & desfixis hodie oculis spe-
ctamus & admiramur, famæ consecrarent. De-
nique omnis ætas cupida gloriæ est, pueri, ado-
lescentes , viri, senes, huc omnia dirigunt, eoq;
remis , velisq; contendunt, ut per ora virūm
volitent , & perpetuitatem sibi quandam &
immortalitatem caperent. non inmerito : so-
la enim hac rerum omnium vivimus, corpore
exuti. Quis Alexandri meminisset aut Aristote-
lis, quorum uterq; clarissimus est, nisi fama
res eorum gestas perpetuæ memorie conse-
crasset ? Hujus auspicijs & diligentia gloria
Speusippi, Xenocratis, Demostenis, Ciceronis
vivit & viget, quibus nihil proprij perijt, su-
per-

persunt hodie, supervivunt, nobiscum versan-
tur, nos erudiunt, & recta via ad sapientiam &
famam deducunt: idq; beneficio ipsius famæ.
Metam igitur dedimus ad quam decurras, Il-
lastrissime Princeps; scopum, ad quem colli-
mes & collinies. Currum nunc & aurigam
accipe, atque anhelantes equos. Nam compa-
randæ gloriæ & consequendæ diversæ sunt ra-
tiones: dicendo, faciendo, verbis rebusq; vi-
vimus. alij enim res gestas monumentis con-
diderunt, alij argumentum scribendi dare ad-
vigilarunt. Isti meritò præferendi: quibus te
adjunges, & iter, quod dicit ad famæ & honoris
templum, comite & duce fortitudine, mihi
ingredere. Illustres excelsa decent & magna:
quo numero merito suo fortitudo erit primum
inter virtutes locum adepta. Hanc tu occupa:
quia difficilima, si labores & pericula spectes:
fructuosissima, si Reipub. commoda: splendi-
dissima, si omnium præconia & laudes consi-
deres. Ardua per præceps gloria vadit iter, in-
quit ille: in theatris in convivijs ad veram glo-
riam nullus contendit. Alpes transeundæ sunt,
per medias nives iter faciendum & hostes: ipsi
quodammodo naturæ vis facienda: flumina
pontibus sternenda: inontes aceto & flamma di-
ruendi & penetrandi. Non enim Asiam aut
Italiam petimus, molliter in plumis cubando,
aut sedendo complicatis manibus, & in sinum
posi-

positis, sed volitando per medias acies, hostem
premendo, circumveniendo, leva dextraque
feriendo, militem auro & geminis onerabis &
ditabis. Huic igitur disciplinæ, princeps, ani-
mum & cogitationes meritò dabis, in cujus tu-
tela lateat patriæ tranquillitas, salus, liber-
tas: quæ sola potest urbes, regna, validissimas
que gentes ipsi largiri: Pontifaces, marisque
finis patefacere: Alpium, Taurique montis con-
vulsa claustra occupare. Cyrus hac scientia
Lydiæ thesauros & Asie regnum obtinuit.
Alexander orbem totum: ut Romani quicquid
hic Sol videt oriens occidensque. Itaque, si fa-
mam concupiscis, Princeps, & cœlum conscen-
dere: viam tibi Ars militaris sternet, & Ho-
merum aliquem aut Virgilium dabit, qui lau-
dibus & Elogijs pulchre facta persequantur. si
patriæ benefacere, Rempublicam liberare aut
conservare: Turcas aut Sarracenos ab Ecclesia
depellere; Alexandrum, Annibalem, Cæsarem
ob oculos pone, quibus res gestæ tantam maje-
statem & famam attulere, ut nulla de ijs pos-
sit conticeffere ætas. Propera igitur & sagum
laetus lubensq; accipe, ego pro felici omni ac-
clamabo: ARMA VIRI FERTE

ARMA VIRI.



ORA-



ORATIO VI.

*Consiliarij quinti , ad pacem ejusq;
artes Principem exci-
tantis.*

VTinam possim , O collega, ita in præsenti
de principis studio statuere , ita de princi-
pis salute confirmare, ut ex eo nihil detrimenti,
sed emoluméti plurimū capere possel videatur !
fieret profecto ut majestas principis non solum
perpetuo fœlix atque beata floreat, verum et-
jam ego , qui de ejus salute in præsenti cogito ,
in principis majestatem non ingratissimus judi-
car. Magnam , ita me Deus amet, injuriam
principi facere videntur, qui summum bonum
principis in nominis immortalitate ponunt ,
quiq; belli studium principi maxime appeten-
dum esse ducunt. Illi sanè aut nihil aut perexi-
guum de Principis salute cogitant. Atque ut
omnes intelligent, me de incolumitate princi-
pis tantum esse sollicitum , quantum fidelem
consiliarium decet : dico, principem non foru-
natum , sed infœlicem: non beatum, sed misé-
rum esse , si immortalitati nominis, si bellige-
randi

randi studio operam det. Et quis quæso ve-
strum , reperiri potest , tām rerum omnium i-
gnarūs , qui ambitionem principi maximo de-
trimento esse non videat , qui gloriæ cupidita-
tem multos principes ad extremas angustias
atque perniciem traxisse non intelligat? Testan-
tur hoc sacræ literæ : testantur profanæ histo-
riæ , quarū exempla licet mecum recognoscatis.
Quid Adamum primum hominem , quem tan-
ta pulchritudine , tot tantisq; dotibus ornatum
Deus ter opt. max. nobilitaverat , in tantam
calamitatem traxit , ut omnibus tum corporis ,
tum animi donis , quibus abundabat , spoliare-
tur ? Ambitio. Quid Cainum impulit , ut vio-
lentas fratri manus inferret ? Ambitio. Quid
omnipotentem Deum commovit , ut totum
genus humanum diluvio perderet ? Ambitio.
Quid Saulem incitavit , ut Davidem generum
suum persequeretur ? ambitio. Quid Nabuca-
denozarem de dignitate regia exturbavit , si i-
milemque animantibus brutis fecit ? Ambitio.
Quid causæ fuit , cur Haman ille superbus , ex
eodem patibulo , quod Mardachæo , paraverat ,
suspensus fuerit ? Annon eadem ambitio? Quid
multis? Ambitio exercitum Xerxis magni Per-
sarum regis , multitudine innumerabilem , fre-
git atque prostravit , ita ut rex ipse nihil præ-
clarious molitus sit , quām fugam , quām perni-
ciem , quām infamiam .: Ambitio conjuratos
in Iu-

in Iulium Cæsarem concitavit, & quia regium
nomen sive diadema sibi imposuisset, sellam-
que auream in senatu sibi collocari jussisset,
ta propterea conjuratorum manibus trucidatus
fuit. Mitto jam Pompejum, quem superbia at-
que ambitione in miserrimam fortunæ commuta-
tionem rejicit. Prætermitto Caligulam, Do-
mitianum, Heliogabalum, Marinni, quos o-
mnes immoderata famæ cupiditas ad tragicum
vitæ exitum traduxit. Quid igitur? Audeſne
tandem affirmare, principem immortalitati no-
nis minis atque ambitionis studio occupatum esse
oportere? Quid si ad bellum gerendum prin-
ceps animum adjecerit, anne tum eum immor-
talem fore existimabis? Nego, imò etjam con-
stanter pernega, iter sic ullū ad immortalitatem
consequendam principi dari expeditum: argu-
mentisq; , si me diligenter attendere velitis,
a invictissimis hoc evincere conabor. Quis enim
in historiarum monumentis vel mediocriter
versatus non animadvertis multa atque infinita
bella, nullam aliam ob causam suscepta esse,
quam propter rem nullius ponderis atque mo-
menti? imò si originem ipsam spectare velis,
merito atque optimo jure inhonesta ea, appellare
poteris. Quid enim Crœsum opulentissi-
mum Lydorum regem ad bellum gerendum
contra Cyrum Persarum regem impulit, quam
effrænata superbia? Quid Antonium commo-
C
vit,

vit, ut bellum susciperet contra Cæsarem, quām imperandi libido? Quid Cyrus juniorem incitavit, ut arma moveret in fratrem Ar-raxerxem, quām ambitio, ardēsq; dominandi cupiditas? Quæ omnia cū ex causis inhonestis atque injustis promanent, non verebor belli studium, principe viro indignum affirmare. Quod si quisquam erit, qui argumentum hoc ad propositum problema confirmandum non satis firmum esse dixerit, consideret quæso jam ac necum recognoscat, quanta incommoditas, quanta pernicies, non solum ex injuste suscep-tis, verum et jam ex justis motis bellis oriatur atq; profluat. Consideret, inquam, in primis, quām miseræ clades, quām horrenda strages, quām injusta hominum oppressio, ex bellorum injuste susceptorum strepitu contingere solant. At quis, quæso te per Dæum immortalem, post homines natos ex iniquitia se immortalem fac-tum, ac honorem se consecutum gloriari potest? Quid Crassus, nonne à Cyro Persarum rege in bello captus, comburendus rogo impo-situs est? Quid Antonius, nonne cum falso ei-nuntiatum esset, Cleopatram sibi mortem con-scivisse, ipse sibi violentas manus intulit? Quid Cyrus Iunior? Nonne in medios hostes irrum-pens imperfectus est? Quid Bajazetes primus Turcarum imperator? Nonne à Tamerlane Scyta miserabile toti Aliae spectaculum factus est?

est? Catenis nempe vinclis atque ferrea cavea cancellata per Asiam circumductus, & passim ostentatus, victori equum ascendentis dorso subditο scabelli usum præstitit. Quid denique Valerianus Romanorum imperator? Nonne in bello vicit & captus a rege Persico Sapore simile orbi terrarum spectaculum præbuit? O egregiam scilicet laudem! O spolia ampla tantorum principum ex bello injusto reportata! Sed quæris? Numne et jam justa beligerandi causa impulsus princeps bellum administrare debeat? Non audeo dicere: dicendum tamen est: & quia de principis salute atque felicitate in præsenti agitur, omnino dicendum est, bellum licet justum, non tamen principi temere gerendum. Perlustrantur n. omnia omnium historiorum argumenta: repries sane nullum unquam ab ullo bellum iuste geri sum fuisse, nisi summa cum difficultate atque incommoditate conjunctum, ut non minus ex hoc, quam ex bello injusto, periculi redundare videatur. Quid opus est, ut exemplorum multitudine vos obruem, cum id per se luce meridiana clarus sit, & quotidiana experientia comprobetur. Vnicum tamen, si placet, ad instituti mei confirmationem, ex Plutarchi Pyrrho, & quidem insigne exemplum, vobis ante oculos ponam. Pyrrhus cum incredibili quodam desiderio tenebatur expeditio-

tionis in Italiam', Cineas cum hoc modo affatus est: Occupata Italia rex, quid agemus? Vicina, inquit Pyrrhus, Sicilia est, dives insula & populosa, & captu facilis. Quid tum inde, inquit Cineas? Trajciemus, inquit Pyrrhus, in Africam & Carthaginem, quæ tum erit ad nutum: Verum, inquit Cineas? ubi rerum potiterimus, quid tum? Ridens Pyrrhus; in alto otio, inquit, vivemus, compotabimus quotidie, & mutuis inter nos sermonibus oblectabimur. Ecquid verò nunc obstat, (inquit Cineas) quo minus compotemus, atque otium inter nos traducamus, quum jam teneamus hæc, & citra negotium ad manum sint, quæ per sanguinem, per multos sudores, per discrimina petituri sumus, multasque calamitates allaturi alijs & accepturi? Hæc, hæc suut, collega, præmia bellorum: hi fructus sunt armorum, quos, si Princeps evitare velit, omni studio in id incumbere omnesq; animi intendere debet nervos, ut bellū qualecunq; tandem sit, fugiat atque detestetur. Verum enimvero, ais princeps, si neque immortalitati nominis, neque belli studio, mihi operam dare liceat, quid igitur mihi agendum, quid tractandum existimabis? Utinam, utinam princeps, monitis meis obtemperare atque obedire volueris! suaderem profecto, ut omne studium tuum, omnesq; adeo cogitationes tuas in pace colenda, pacisque artibus tractandis ponas.

ponas. Quis enim est, qui, cum ex bello tot tan-
taque detimenta oriri videat, econtra ex pace
majorem voluptatem profluere non sentiat?
Nihil enim est tam populare quam pax, qua
non modo iij, quibus sensum natura dedit, sed
etiam recta atque agri mihi latari videntur.
Haec est quae simultates tollit, bella compescit,
iras comprimit, superbos calcat, humiles amat,
discordes sedat, inimicos concordat, cunctis
est placida, nescit extolli, nescit inflari:

Pax arva colit, pax candida primum

Duxit ad aratros sub juga curva boves.

Pax aluit vites et succos condidit uvae:

Funderet ut gnato resta paterna merum.

Pace bidens, vomerq; vigent: at tristia duri

Militis in tenebris occupat arma situs.

Rusticus è lucoq; rebit male sobrius ipse

Vxorem plaustro progeniemq; domum.

O dulce nomen pacis! O rem jucundam,
atque salutarem: O rem publicam florentem,
atq; beatam, quae tanta bonitate pacis frui pos-
sit! At posset quidem, si princeps non ambitio-
nis, non belli studio, sed paci se totum conse-
craverit. Pace autem princeps perpetuo frui
absque molestia potest, si artibus ijs atq; virtu-
tibus ad eam rem comparatis se cumulaverit.
Ecquænam illæ sunt? Studium concordiae: Iu-
stitia vitans injurias & rapinas: Clementia,

C 3 magni-

Magnificentia, vitæ Integritas : sine quibus
princeps ad gubernaculum reipub^b positus, vix
ac ne vix quidem pacifice vivere, pacemq; tue-
ri potest. Quæ cum ita sunt, ô princeps, te jam
merito compello, tibi suadeo, ut ambitionis
atq; belli studium tanquam pestem fagias, pa-
cemq; unice colas atque ames. Revoca tibi in
memoriam quot quantaq; ex ambitione atque
bello, si illorum cultor haberi vis, damna atque
detrimenta tibi impendeant : Revoca, inquam
tibi in mentem, quam infinita commoda, si pa-
cis studium secteris, in te redundant. Concordiam
ama, justitiam cole, clementia te exorna,
magnificentia te condecora, vitæ integritatem
tanquam clarissimam filiam exosculare : ita n-
fiet, ut princeps toto terrarum orbe non solum
clarus existas, sed et jam cuius virtutis fama in
omnem æternitatem florebit.



ORATIO VII.

Consiliarij sexti, pietatem, prudentiam,
justitiam, fortitudinem Regenti
inculcantis.

E T si, collegæ, libenter aliorum sententias fe-
quor,

quor, nec mihi ipsi sapio, & ab illo ~~sophos~~
crimine quam longe abesse cupio: tamen quæ
mihi quisque veitrum recte dixisse videatur,
quæ fecus, meum officium ut dicam flagitat:
quod hac mea oratione dum facio mirum
in modum rogo atq; obtestor, ne in malam in-
terpretemini, partē quod hanc provinciā in me
suscepi. Ego n. ijs quæ modo enumerata sunt
partim plura, partim longe majora, principi in-
cumberē patō: pietatem in eo desidero: effla-
gito ab eodem prudentiam: tum justitia & for-
titudine ipsi opus esse judico. Principio er-
go, scito Domine, ante omnia pietatis te culto-
rem per totum vitæ tuæ quod restat tempus
esse oportere sincerissimum & gravissimum.
Ne autem in hanc devenias opinionem, nu-
dum vocabulum pietatis tantummodo in
meis oculis animoque versari, rogo ut auri-
bus percipiās quid ea sit: Hæc est præstantis-
fima illa vis animi divinitus concessa, qua
D E U M & recte novimus & recte colimus:
hæc dominum conciliat: hæc egenorum
portus: hæc misericordia suffragium: hæc ju-
storum tribunal: hæc est fundamentum omni-
um virtutum. unde recte vir ille divinus (de
Platone dico) omnis æquitatis, inquit, ex qua
bonæ leges pendent firmamentum est D E I
metus. O sanctissima, o gravissima pietas,
o quam egregia res est te esse præditum! Fa-
zillon

cescite divitiæ, facessite honores, facesset cor-
poris pulchritudo : ad hanc pietatem vos o-
mnes nihil estis : non enim diu duratis, sed
fluxa estis & folijs autumnalibus magis caduca:
tu vero ô pietas constanter permanes, nec de-
seris hominem in morte, sed post hanc vitam
præsto es & immortalitate donaris! Hanc pie-
tatem, Domine, sectare, in hac quotidie te ex-
erce. Ut enim Apelles pictor queri solitus
est, perijisse diem in quo non duxisset lineam :
ita Christianus & præsertim princeps dolebit, si
quotidie non evaserit melior in pietate. Ideo
autem pietatem dico principi esse necessariam
& utilem, quoniam omnia suppeditat, omnia
ex se gignit. Ipsi invocationem veri Dei
largitur, largitur pœnitentiam, fidem edocet,
procurationem & ecclesiarum & scholarum
suppeditat; ut verbum D e i incorruptum in-
eis sonet : ut idonei constituantur doctores,
ut his salarioa honesta attribuantur : ut paupe-
rum habeatur ratio, quo & illi rectè educen-
tur: quæ quidem quanta sint bona mecum quæ-
so recognoscite atque perpendite. Atque ut
de invocatione veri Dei dicam : D e u m im-
mortalem quanta illa est virtus, quantum bo-
num ! Hæc enim vero motu cordis & lin-
guæ à Deo petit bona æterna & corporalia :
hæc, quemadmodum aqua delet ignem, ita iram
D e i omnesque pœnas placat: hæc clypeus
nolter

noster est & gladius biceps, quo pugnamus
& vincimus. Accedat, Domine, regius sua
voce Propheta David & hanc meam senten-
tiam comprober: Invoca me, inquit ille, in-
die tribulationis tuæ, & ego eruam te: & hono-
rificabis me. Quid in medium profert Aposto-
lus Iacobus? Orate pro vobis invicem, in-
quit, ut sani sitis, multum enim valet depre-
catio justi efficax. Quæ omnia non solum
verbis satis explicatis in Biblijs (quæ medi-
cina animæ sunt,) notata: sed & exempla
coram assunt quæ vim prectionum confir-
mant. Cur enim absorptus ignis accensus
a Domino, cum ortum erat murmur popu-
li quasi dolentis præ labore contra D E U M ?
Propter orationem Moysis. Cur Sol stetit
in medio cœli & non festinavit occumbere
spatio unius diei ? Propterea quod Iosua sup-
plex ad Dominum accessit. O vim precatio-
nis incredibilem, ô magnitudinem inenarrabili-
lem ! Quid de pœnitentiæ præstantia ? quid
de illa ad æthera tollenda virtute dicam ? qua
peccatum aboleri, reconciliationem nos acci-
pere indubitanter credimus, qua novam obe-
dientiam inchoamus. Quid languores sanat ?
Pœnitentia. Quid gratiam conservat ? Pœ-
nitentia. Quid mentem munit ac roborat ?
Pœnitentia. Multa hic adducere possem
pœnitentiæ veræ & non fictæ exempla, quæ

fuit in Patriarchis, Israelitis, Davide, Ezechia
alijsque, sed ob temporis angustiam ea nunc
omitto. Nec inferior pœnitentia virtus est Fi-
des, quæ in pœnitentia sic includitur ut vita
in motu animali. Absque fide impossibile
est placere D e o. Fides enim est fiducia ac-
quiescens in misericordia D e i propter filium
mediatorem promissa: fides assentitur omni
verbo Dei nobis tradito: fides tantam in se
habet vim, ut quæ impossibilia sunt tanquam
oculis subjectis complectatur, & quæ diffe-
runtur, perinde habeat, atque præsentia. Hæc
est ars Christianorum summa, qua Israelitæ o-
mnem dubitationem represserunt, & hostem
immanem Pharaonem vicerunt: qua Jacobus
docuit uti perseverantia & constâta in petenda
& expectanda ope divina: O thesauris omni-
bus opulentior, o virtutibus omnibus fortior,
medicina quavis salubrior! Harum harum
virtutum magistra est Pietas, quanquam & alia
largitur. Pietas enim principi procurementem
& Ecclesiarum & scholarum suppeditat, ut
verbum Dei incorruptum in eis sonet, ut idonei
constituantur doctores, ut his salario ho-
nesta attribuantur, ut pauperum habeatur ra-
tio, quo & illi recte educentur: aliaque quam-
plurima ex se gignit Pietas. Quod quidem te-
stimonij possem planum facere, si tempus id
pateretur. Sufficiat me tantum digitum inten-
disse

disse in id quod volui , pietatem nempe cornu
quoddam Amaltheæ has & omnes alias virtu-
tes suppeditare. Ad vos jam mea pervenit o-
ratio, qui in principe omnem pietatem extin-
guitis , atque ex eo armentarium , aut Nero-
nem, aut Caligulam facitis: fidē, liberalitatem,
omnes deniq; virtutes principi damnosas esse
affirmare non erubescitis : qui principi ante
omnia optandum esse ut pius videatur , non ta-
men ut sit elatratius : qui principi pejerare, fal-
lere & dissimulare sine ulla dubitatione licere
docetis : qui felicem esse principem illum
quem populus non diligit garritis : qui prin-
cipem illum esse sapientem qui boni publici
studiosos & amantes tollit gannitis. O misé-
rani ætatem quæ ista portenta alit! Quousque
tandem abutere, quisquis es qui ita sentis, pa-
tientia Dei ? quamdiu tuæ blasphemix Deum
eludent? quem ad finem sese effrenata ista ja-
ctabit audacia? nihilne te Dei os vultusqne
movent? O tempora! ô mores! Sed de his sa-
tis atque etiam plura quam in animo habue-
ram: in cæteris breviter me expediam. tantum
id etiam atque etiam rogo, id mihi tribuatis, ut
reliqua benevolentia vestra solita benigne co-
gnoscatis. Devenio ad alterum quod in te, Dō-
mine, desidero , idque est Prudentia , quæ est
oculus animæ: civitatis asylum: reipublicæ
ancora: regnum omnium anima. Prudentia
urbes

urbes bene gubernat: prudentia omnes actiones politicas ita regit, ut ad normam verbi divini congruant: prudentia singulis officiis sua prescribit omninoque docet: ut, quemadmodum sumere citharam qui canendi sit imperitus non debet: ita neque imperij partes imprudentibus sint demandandæ. Proxima ergo cura erit, Domine, ut consiliarios tibi asciscas idoneos & fideles, quibus curiæ curas commendes, ut te in gubernanda republica adjuvent. Quod quam necesse sit, res ipsa loquitur. nisi enim consiliarij sint fideles, proh Deum immortalem! quanta in republica inde exoriuntur mala. His non recte constitutis turbatur religio: religione vero turbata omnes virtutes ut tollantur necesse est: religione rejecta unusquisque sibi pro animi arbitrio religionem instituit, summa in magistratu crudelitas, existita principe desciscitur, seditiones adversus ipsum moventur, vinculum humanæ societatis solvitur, bella varia & incommoda suscipiuntur, seges erit ubi Troja fuit, fides violatur, perfidia societatis humanæ pestis tristissimumque regum pharmacum in flore est, sanguis plurimus innocens effunditur, denique ipsi etiam boni principes flagitosissime seducuntur. Sed, ne benevolentia vestra videar abuti, illa describenda jam omitto: & quam utile sit principem esse stipatum, bonis consiliarijs videamus.

Tunc

Tunc enim vera floret religio: tum fides servatur: tunc tranquille vivitur: tunc justitia regnat: tunc principes optima consilia percipiunt. Bonus enim consiliarius is est, qui ut hæc omnia perficiantur, operam dat: qui quæ facta sunt opus non ignorat: & quæ agnoscit explicare potest: qui rem publicam unicè amat: qui pecuniam contemnit: qui veritatem non celat. Hujusmodi consiliarij verè sunt pars corporis regij: hi recte ab Imperatore Iustiniano nominantur patres principum. Ut ergo, Domine, consiliarios Davidis, Salomonisq; non autem Ieroboami habeas suadeo: ipseque operam dabis, sic etenim feliciter imperare & causas tam belli quam pacis facile discernere poteris. Ad judicia jam accedo, & ea quoque recte esse constituenda judico. In his judex iustæ ætatis sit, qui æquitatem ante oculos habeat, qui prionior in tenuiorib. ad bonitatem, in gravioribus ad benignitatem sit, & non solum quid possit sed etiam quid debeat ponderet: idem in leges' justitiæ ne peccet, neque ab instituto suo recto magnitudine pecuniæ sese abduci permittat. Ut enim sol non aliis pauperi, aliis diviti, sed omnibus communis: ita judex spectare personam non debet, sed rem. Quapropter ut in judicijs Moyses adsit: Pilatus vero rei ciatur, omnino studendum erit. Tertium quod principem maxime exornat, est justitia cultu-

cultura divinorum : pax populorum : tutamen
patriæ immunitas plebis : gaudium hominum:
bonorum præmium : pæna improborum : tri-
butorum regula: quæ in exigendis modum ser-
vat & exacta recte collocat, omnemque avari-
tiam & profusionem vitat. Quartum quod
in principe præfulgere debet est Fortitudo, quæ
facit, ut bello fortis quis extet: ut justa bella
fusciantur: in quibus Deus sit in acie, Deus
stet in medio, Deus stet in subsidijs: hæc justi-
tiam custodit: hæc sola defendit ornamenta
virtutū omnium. Quæ virtus nihil extimescit?
Fortitudo. Quæ præterea omnia humana de-
spicit? Fortitudo. Quæ supplicijs non move-
tur? Fortitudo. Sapiens enim non metu fran-
gitur, non potestate mutatur, non attollitur
prosperis, non tristibus mergitur. Ut enim
palmæ arboris ramus impolito onere non ad
terram deflectitur cæterarum more, sed reniti-
tur: ita viri fortis animus quo plus negotijs
premitur, quove magis sœvit fortuna, hoc est
erectior. O pulcherrimam, o elegantem,,
o præstantem, honorificam, speciosam, am-
plam virtutem fortitudinem! Præsta igitur
Dn. te virum: imitare Moysen, Samsonem, Ari-
stidem Catonem Majorem. Quod si Dn ad has
accederint reliquæ virtutes, quas qui ante me
dixit in principe desiderat, integritas vitæ, &
magnificentia & clementia, quid beatius erit
illæ

illo principe? Ibi erit felicitas: stabilitas regni;
auris audiens & alia innumera.

Quare si stabilem rem publicam tuam esse
cupis, si immotam, si felicem, si obedientes
subditos: da te pietati & prudentiae, se etare for-
titudinem, justitiae votum nuncupa, tempe-
rantiam colito, facq; ut similimus sis Davidi
(qui vir ad placitum &, ut sic loquar, ipsius Dei
gustu fuit) Iosaphato, Ezechiæ, in quib. quanta
fuit pietas quantæque virtutes? ut præterea am
Christianum IV. Daniæ regem: Augustum pium
Electorem, Christianum I. & Christianum II.
Augusti illum filium, hunc nepotem: Ulricum
& Carolum Megapolitanorum: Ioannem A-
dolphum Holsatiæ: Fridericum & VVilhelmu
Curlandiæ Duces. Quæ, ut tandem conclu-
dam, cum ita sint: non credo., Domine, du-
bitare quenquam: has virtutes tibi esse neces-
sarias & utiles. Tu ô æterne DEus fons omnis
boni & scaturigo inexhaustæ misericordiæ,
omnes principes christianos sapientiæ lu-
mine illustra, ut populum tuum recte judi-
cent: tu omnes inimicos à tuis aris, à te etis
Germaniæ ac mœnibus, à vita omnium arce;
tu fac, ut tibi grata, ecclesiæ & reipub. utilia,
nobis salutaria quisque cogitemus, dica-
mus, faciamus.

O R A -

ଶ୍ରୀମଦ୍ଭଗବତପ୍ରକାଶନ

ORATIO VIII.

Omne Gubernatoris officium ὡς εὐ^τ
τύ ὡς complexa.

MAgnes ad me cumulus isthinc accessit
doctrinæ, quod vos ita eruditè de omnib.,
quæ in regia sede fieri soleant, disputantes au-
divi: atq; ex eo ipso vestram in me singularem
benevolentiam, cum summa animi observan-
tia conjunctam deprehendi; quod vos intelligo
partim mei, partim dignitatis regiæ peresse
studiosos. Ita me ergo comparabo, ut &
Deum colam, inque eo spem meam, & omnia,
quæ homines in excelsò loco collocati summa
putant, deposita habeam ejusq; verbi ductum
sequar, sive vigilem, sive dormiam, sive remp.
administrem, sive edam, sive bibam, sive ve-
ner, sive aliud agam, is mihi primus; idem mihi
postremus erit: ad ejus gloriam amplifican-
dam omnia ipso duce & rectore conferam pa-
cis & belli studia.

Neque enim, quod multi faciunt, tam cogitabo, quantum accipiam honoris, quam quantum oneris ac sollicitudinis secum moles imperij

perij trahat. Est enim regenti procuranda ec-
clesia : quærenda est reipub. securitas ; spe-
ctanda est subditorum salus. hæc est candida
illa meta, ad quam regius athleta currat oportet.
Atque ad hunc finem publici boni duo
in primis opus esse video, Prudenciam & Vir-
turem. sine illa cæcutit regnum, sine hac nulla
societas neque laudabilis eit, neque firma. Sed
ut quædam minuta sunt sidera, quædam ma-
gna, ita virtus principis est duorum generum.
Nam Iustitia, & clementia fides & modestia
sunt duo magna lumina.

Quid enim magis præfolget in Principe,
quam si legibus alligatum se fateatur & ex
legam præscripto Ius reddat ? & ea quæ di-
xit, quæ promisit, sine fraude sine dolo ser-
vet ? Quid tam porro splendescere princi-
pem facit, quam si lenis sit, & si virtutem ani-
mi à pœna aut vindicta ad lenitatem cum judi-
cio inclinet ? Cumque supra non extra homi-
nes sit princeps, quantoque plus adeptus est,
tanto magis in librico sit positus : quid tam
necessarium est ei, quam ut in alto collocatus,
non alta sapiat, sed sensum actionesque mo-
dificet & temperet ? inque his ita versetur,
ut majestatem suam omnibus commen-
dent.

Profectò hæ virtutes principem ita clas-
sum faciunt, ut ejus lumine totus orbis illu-
strebitur :

D

stretur : Ad quas si accesserint , illæ hand &
quæ illustres , sed tamen utiles : cum delectu
& modo liberalitas : in conjugem amor non
obsequium : item , ut aut iram vitet , aut a-
periat : ut in convicia ut inquirat : ut curet
famam : ut amet doctrinam : benè erit princi-
pi & reipublicæ . Ut autem Princeps sine vir-
tute nomen suum tueri non potest , ita impe-
rium sine prudentiâ est nullum . Eam du-
plicem esse animadverto propriam & mutua-
titiam . illam raram esse in purpura , usus do-
cet : hæc autem maxime est gubernatoria .
Magna enim negotia magnis egent adjutori-
bus . Quæ causa me impulit , ut vos mihi ,
ut probos & prudentes , morum animorum
que provinciæ meæ gnaros delegerim : nec
de vestra fide & pietate , juvandique prom-
ptitudine sincera dubito , quin omnia vestra
consilia ad religionem amplificandam ad pa-
cem tuendam ad benevolentiam subdito-
rum retinendam : ad impressam subditis &
exteris reverentem de rege ejusque statu o-
pinionem servandam : ad omnia ea quæ rem-
public . everttere solent averruncanda : ad
censum reipub . honeste sine subditorum inju-
ria augendum : ad bella tum extera tum ci-
vilia impedienda : sitis sine contumacia , si-
ne confidentia , sine ~~magistrayis~~ , sine præcipi-
tantia directuri .

Nihil

Nihil enim tam gratum est principi illi
DEO, qui hunc universum mundum gu-
bernat, quam Cœtus hominum pietate, reli-
gione vera, Iustitia inter se societati, & in pa-
ce quam maxime beati. Ad hos, cœtus con-
servandos operam suam totam ut addicant hi,
qui pluribus præfunt, qui leges & Iussa ponunt,
qui maria terras, pacem bella moderantur: te
qui æterna veritas es ex imis sensibus precor.

Vobis autem, Magnifici Clarissimi atque
Doctissimi viri, juvenes nobilissimi atq; orna-
tissimi grates quatas possum agimus maximas
quod me & meos commilitones tam benigne
& placide audire volueritis. pollicemur majoribus
reverentiam & amorem: paribus bene-
volentiam: omnibus studia quisque
nostra luculentis-
simè.

D. IX. I.

D 2 Epigram-

EPIGRAMMA
*Ad Clarissimum virum, D.N.
M. IOANNEM SIMONIVM,
Professorem Rhetorices almæ
Rhodopolitanæ.*

Gloria materia par est. per ludicra
ludos
Scriptores mundus deliciasq; facilit.
Serior autores & seria fama, polito
Texentes calamo seria facta, manet.
Vanospone metu animi. tua docta,
SIMONI,
Nomina posteritas, si qua futura,
colet.
Qualis sit miles, qualis sit navita,
qualis
Sitt tandem princeps, qualia consilia:
Castis

Castis exemplis, puro sermone Latino,
Varniadum copifertilitate, doces.
Sic ad virtutes calcaria fortius adde!
Sic ange aeterno PVPLICVM
honore BONVM!

MATTHÆVS ZVBERVS,
P.L. faciebam in alma Rosa-
rum Academia.

F I N I S.




Cyprianus puto Cyprianus Tunc
I. annis 1500 fannum nosc.
Sic dicitur sicut etiam fortius auctor
Sic dicitur in uno PAPYRUM
bonorum BONUM


KATHARIS ET EGRAS
-1000-
-1000-

2 1 1 2









http://purl.univ-rostock.de/fresdokopen742263479phys_0071

DFG

illo principe? Ibi erit felicitas
auris audiens & alia innumeris.
Quare si stabilem rem
cupis, si immotam, si felicitatem
subditos: da te pietati & pri-
titudinem, justitiae voluntate
rantiam colito, facq; ut si
(qui vir ad placitum &, ut si
gustū fuit) Iospahato, Ezechi-
el fuit pietas quantæque virtus
Christianum IV. Daniæ regis
Electorem, Christianum I.
Augusti illum filium, hunc
& Carolum Megapolitanum
dolphum Holsatiæ: Friderici
Curlandiæ Duces. Quæ,
dam, cum ita sint: non
bitare quenquam: has vir-
tutias & utiles. Tu ô æter-
boni & scaturigo inexha-
omnes principes christia-
mine illustra, ut populu-
cent: tu omnes inimicos
Germaniæ ac mœnibus, à
tu fac, ut tibi grata, ecclesiæ
nobis salutaria quisque
mus, faciamus.

